EXERCITATIO JURIDICA
DE
INJURIIS ET FAMOSIS LIBELLIS.

Quam

AUXILIANTE DEO,

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Nobilißimi, Consultißimi atque Excellentißimi

DN. JACOBI LE-BLEU

U.J.D. GRAVISSIMI, NEC NON
in inclyta Academia Gissensi Pandectarum & Politices
Professoris Publ. longè Celeberrimi, ejusdemq;
Academiæ Syndici fidelissimi
Dn. Præceptoris, Promotoris & Hospitis sui, omni
observantiæ & honoris cultu ætatem
devenerandi

Publicæ disquisitioni subjicit

ERNESTUS Böttcher/ NORTHUSANUS
Auth. & Resp.

Ad diem 26. Januarii.

GISSÆ, Typis CHEMLINIANIS.
M. DC. LVI.

COROLLARIA.

I.

Sustineri posse arbitramur Merendæ sententiam quâ statuit nullam inter jus naturæ & gentium differentiam esse.

II.

Fœminam vix simpliciter renunciare posse Senatusconsulto Vellejano asserimus.

III.

Pœnam arbitrariam ad mortis supplicium extendi posse judicamus.

IV.

Jure Canonico differentiam inter bonæ fidei & stricti juris contractum sublatam esse negamus.

V.

Vasallum prædio feudali servitutem imponere posse, veritati esse consentaneum existimamus.

VI.

In commodato locum habere posse compensationem affirmamus. Man-

VII.

Mandantem vulnerari hominem, ſi mandatarius occidit, à pœna ordinaria immunẽ pronunciamus.

VIII.

Filium fideicommiſſo gravatum legitimam & quartam Trebellianicam detrahere poſſe negamus:

PAgina conqueritur ſecli veneranda vetuſti
Undique mutatæ veniſſe in ſecula vitæ
Omne nefas, linguæq; nocentis tela vagari
Lurida per totum nullo diſcrimine mundum,
Terramq; Aſtræam pedibus liquiſſe citatis.
Sed quantum noſtri cœperunt tempora ſecli
In pejus ferri? quæq; ante argentea dicta
Ætas, nunc æris ſumpſit mutata figuram;
Nunc inter geminos creſcens INIURIA Fratres
Judicii fictis petiit ſacraria verbis.
Hanc litem perdocte mihi BÖTGERE videtur
Diſſolviſſe brevi tua Diſſertatio filo;
Hinc tibi laus aderit, quæq; hactenus inſita virtus
Publica tranſacti ſumet præconia facti.

Ita Eximio DN. Reſp. gratulari volui
JOHANN. FITZMAN. Med. St.

FINIS.

Quod felix sit faustumq;

DISPUTATIO JURIDICA DE INJURIIS ET FAMOSIS LIBELLIS.

Thes. I.

Quantopere non minus frequens inter alia vitiorum genera hac tempestate atrocissimum illud crimen aliquem injuriandi, quotidiana plus satis experientia testatur invaluisse; ut nihil tam fidei humanæ contrarium, nihilq; citius venerabile illud amicitiæ vinculum solvat, quàm si quis alterius famam, dignitatem, existimationem & honorem minuere & lædere sibi ducit. Quamobrem operæ pretium me facturum existimavi, si hoc delictum abundè frequens publico examini placidæq; subjicerem disquisitioni. Non autem abs re me facturum spero, si à definitione initium sim facturus.

II.

Generaliter dicitur injuria omne id quod non jure fit, *in pr. Instit: de Injur. l. sed et si § injuriam. ff. ad L. Aquil.* Specialiter verò, uti hoc loco, pro contumelia seu convitio accipitur. Cujus respectu definiri potest; quod sit delictum *l. 4. ff. de Oblig. & act. l. ult. in pr. C. de Injur.* quo quis alium invitum contumelia immerito afficit. *l. 1. § usq; adeò, inf ff. d. t. l. cum donationis C. de transact. ibi nec unquam volentibus dolor infertur. §. ult. Instit. de Injur.* Contumelia est contemptus sive despectio ad infamiam vel invidiam & pudorem alicujus spectans

l.1 in fin. princ. d. t. l. item apud. §. *sed quod adjicitur ff. de injuriis. l. SCto 38 l. 1.* § *usq; adeò ff. ibi nostrum pudorem pertingit ff. de Injuriis.*

III.

Cæterùm circa injuriam duo consideranda veniunt. 1. Ipsa injuriæ impositio. 2. Injuriæ impositæ vindicatio.

IV.

In impositione injuriæ spectatur persona tam inferens quàm patiens injuriam *l. 16.* §. 3. *ff. de pœnis*: deinde etiam modus inferendi.

V.

Persona faciens injuriam est, quæ doli capax est animoq; & affectu injuriandi verba illicita profert contra alium, vel in contemptum & contumeliam alterius aliquid facit *l. 7.* §. *ult. l. 8 l. 9. l. 15.* §. 23. 38. 5. 6. 7. *ff. de Injur.* Ideoq; furiosus, impubes, qui doli capax non est, nec voluntatem & affectum injuriandi habere præsumitur, non facit injuriam *l. 3.* §. 1. & §. 2. *ff. de Injur.* Ita profundè ebrius, quia furioso similis est *C. venter Distinct. 35.* & quid loquatur nescit, proindeq; mortuo comparatur *c. sane 15. q. 1.* Nescit item se delinquere *c. inebriarunt 15. q. 1.* Nec ex proposito, sed impetu quodam peccat *l. perspiciendum 11.* §. *pen. ff. de pœnis.* ejusq; voluntas neque per se, neque per accidens in delictum fertur. Unde injuriam, quæ verum delictum est non facit ebrius, quod procedit secundum *Treutl. vol. 2. disp. 30. th. 6.* in levioribus injuriolis, si post edormitam crapulam pœnituerit *l. 6.* §. 7. *vers. per vinum ff. de re milit. l. un. c. si quis imperat. maled.* proindeq; actione injuriarum non tenetur. Damhoud. *in prax. rer. crim. cap. 137. n. 12.* quia voluntatem & affectum injuriandi non habet *l. un. C. d. tit.* quod tamen substantiale requisitum actionis injuriarum est *Gail. l. 2. Obs. 100. n. 1.* Ita qui inconsulto calore iracundiæ commotus est *l. 18.* §. 3. 4. 5. *ff. de injur. l. 5. C. d. t.* vel ignorantia aut errore deceptus *l. 3.* §. *ult. l. 15.* §. 45. *d. tit.* si postea animo sedato se facti pœnitere ostendat, non dicitur injuriam intulisse. *Vasq. 1. illustr. controv. 18. n. 29* Eodem modo, qui juris sui defendendi & conservandi causa quid dixit vel fecit *l. 13. l. 33. ff. de injur.* vel per jocum, aut dum certat aliquem percutit, non facit injuriam per *l. 3.* §. *pen. ff. dict. tit.* nisi jocus ille æquo frequentior fiat *Damhoud. in prax. rer. crim. cap. 137. num. 17.*

VI. Item,

VI.

Item, non facit injuriam, qui animo corrigendi & emendandi quid dicit vel facit *l.13.§.38.l.7.§.2.ff.de Injur.Menoch.lib.2.caſ.364. Gail.lib.2.obſ.106.num.6.* vel ob officium injunctum aliquid facit vel dicit *l.16.§.2.ff.de pœnis.l.16.§.8.l.13.§.6.ff.de injur.Maſcard.concluſ.902. num.6.9.* Ut ſi Magiſtratus pro officio juriſdictionis bona alicujus capi & diſtrahi, vel quem ob maleficium in carcerem duci juſſerit; aut ſi apparitor juſſu Magiſtratus aliquem in carcerem duxerit & repugnantem vi ire compulerit *l.injuriarum 13. §.1.& §.quæ jure poteſtatis à Magiſtratu l.quod Reipubl.33.ff.de Injur.* Si quid tamen Magiſtratus injurioſè fecerit, tenetur actione injuriarum *l.32.ff.d.tit.* In concionatoribus, qui pro concione aliquem, ſive in ſpecie nominatum, ſive ita depictum, ut à quovis cognoſci poſſit, durioribus verbis notant & increpant, animus injuriandi non præſumitur, ſed potius corrigendi *Harppr.in §.non ſolum 11.Inſtit.d.tit.num.31.verſ.verum enim verò, num.32.& ſeq.uſq; ad n.51.* Niſi conſtet, illum ex quadam amarulentia, invidia, odio & privato affectu falſa quædam crimina alicui objeciſſe & in publicum protuliſſe: Quo etiam pertinet, Magiſter, dominus, præpoſitus, pater, mater, propinquus, amicus, ſocius & ſimilis, in iis enim animus injuriandi etiam non præſumitur niſi probetur *l.ſed etſi 6.§.ult.&l.ſeq.ff.ad L.Aquil. Gail.lib.2.obſ.106.num.6 l.unic.C.de emend.propinq.Gloſſ.notab in l.veſtem. ff.de injur.in verbo teſtimonium;* quæ dicit per illum textum, quod ratio ſanguinis tollat præſumptionem inferendæ injuriæ, & affectu propenſiore magis quàm dolo malo id factum eſſe videatur.

VII.

De perſona inferente nihil refert an proprio judicio vel per ſe, vel ab alio concitatus, aut per alium quis alicui injuriam infert. Nam & alterius opera & monitu quis alicui injuriam imponere poteſt.*l.lex Cornelia 5.§.ſi quis librum &l.15.§.2.ff.d.tit.* ut, ſi quis perſuaſit juſſitve ut fieret injuria, tenetur *l.11.ibiq; Bartol.per l.15.§.8.l.17.§.2.ff.eod.tit.* Et ſi plures injuriam faciunt, tot ſunt injuriæ, quod perſonæ facientium injuriam *d.l.15.ſive unus ſive plures.l.ſi plures 34.ff.d.tit.* & quilibet in ſolidum tenetur *l.15.§.2.ff.quod vi aut clam.*

VIII.

Patitur quis injuriam vel per ſemetipſum, vel per alias perſo-

 nas,

nas, puta per liberos, per uxorem, per sponsam, per nurum *l. 1. 18. §. 2. l. 1. §. 3. 5. & seqq. l. 15. §. 24. l. 17. §. 10. l. 11. ff. de injur.* per famulum sive ministrum, per servos cùm proprios (etiamsi alius eorũ usumfructum habeat) tum communes, necnon per liberum hominem bona fide servientem: item per Legatum missum *l. 15. §. 35. ff. d. tit.* si scil. quid in eos atrociter vel ad nostri contumeliam factum fuerit *l. item apud 15. § si quis sic fecit & § itaq; prator ff. d. t. Cöppen lib. 2. obs. 81. per tot. Cravetta consil. 119.* etiam de jure feudali per vasallum, si in contumeliam domini injuria sit illata. *teste Ioh. Schneid. ad Inst. tit. de Injur.* Spectat enim ad nos & ad nostram existimationem injuria, quæ in his personis fit, quæ vel potestati nostræ vel affectui subjectæ sunt *l. 1. § item per semetipsum & § usq; adeò & § ult. ff. de Injur.* Si fortè defuncti antecessoris monumento, cadaveri, statuæ, famæve inferatur injuria, hæredibus ejus, bonorumve possessoribus ea injuria fieri intelligitur: quippe cùm ea ad horum existimationem spectet *l. 1. §. 6. l. 27. ff. dict. tit. l. qui sepulturam & l. seq. C. de sepulchr. viol.* Ita executori vel officiali meo Procuratoriq; vel uni ex collegiis meis, vel itineris socio, consorti & similibus injuria facta, mihi imposita censetur. *Farin quæst. 286. & seq. Iohann de Prato cons. 9. n. 9. tom. 2. consil. crim. Gail lib. 1. obs. 125.*

IX.

Licet autem viro aut sponso illata injuria etiam uxorem & sponsam pertingat, ex ea tamen convitiator illis non obligatur. Defendi enim uxores à viris non viros ab uxoribus æquum est. *§. patitur Instit. de Injur.*

X.

Modus faciendi injuriam, tum formalis est, tum accidentalis.

XI.

Formalis in duobus consistit. 1. In affectu i. e. voluntate & proposito facientis injuriam *l. 3. §. 1. ff. d. tit. ibi: injuria enim ex affectu facientis consistit. l. qui servum 34. in pr. ff. de O. & A.* quo maxime injuria ab aliis delictis distinguitur *l. qui injuria 53. in princ. ff. de furtis, ibi: maleficia voluntas & propositum delinquentis distinguit.* 2. consistit formalis modus in verbo aut facto aliquo contumelioso. Nec sufficit affectus facientis injuriam, sed & ipsum factum injuriosum i. e. contumeliosum requiritur *l. 13. § si quis de honoribus & l. 15. §. si curaverit quis ff. de injur.*

de injur. Inde mandans non tenetur, si injuria facta non sit *l.52. §.19. ff.de furtis. l.53.in fin.ff.de V.S.*

XII.

Accidentalis modus consistit in eo, quo injuria vel Realis est aut verbalis *l.1. §.1.ff.de Injur. Berlich.part.5.conclus.59.n.1.* Vel atrox aut levis *l.sed si unus 17.§.quadam injur.ff.d.tit.*

XIII.

Realis injuria est, quæ facto aliquo illicito & ignominioso infertur: eaq; duplex est; aut enim in corpus imponitur, aut extra corpus. *Paul.lib.5.sentent.tit.4.in pr.Modestin.Pistor.quæst.107.*

XIV.

Corpori infertur injuria, quum corpus alicujus contumeliosè tractatur, ut si quis alicui manus intulerit, alapam impegerit, fustibus & verberibus cæciderit *l.1.§.omnemq; l.5.in pr.vers.lex itaq; ff.d.tit. l.sed est 9.ff.eod.Iul.Clar.lib.5.sent. §.injuria n.1.post princip.* aut vulneraverit corpus vel adversus quem manus levaverit, & sæpe territus sit, quasi verberaturus, non tamen percusserit *l. item apud §.si quis pulsatus 1.ff.dict.tit.Schneidew.ad §.sed & Lex Cornelia 8.Inst.de Injur.* Vel alterius faciem luto vel cœno conspurcaverit, in faciem conspuerit. *Menoch.cas.385.arbitr.lib.2.*crines vel barbam alterius expilaverit *l.un. §.si quis aliquem vers. vel crines ejus tit. de pace tenenda & ejus violat.* vel aliquem percusserit cubito vel manu sub mento *Guid. Papa. consil.224. n.1.& seqq.* Etiam infertur corpori injuria per alium si virilia contrectat, secreta hominis nudat *l.5. §.8.ff.de ventr. inspic.* stuprum infert *l.25.ff. de injur.* impudicè osculatur, vel de stupro aliquam interpellat; vel qui stupri causa in aliquam irruat, *l.1. §.pen ff.ad L.Cornel. de Sicar.* Realis quoque in corpus injuria est, si Magistratus injustè, sine indiciis, vel præter modum quem torqueri facit. *Chil. König in suo process. c.2.n.37.vers.* So aber ein Richter. *Rauchbar. part.1. quæst. 49.n.1, Cravett.cons.806.num.10. Coler decis.161.n 9.p.1.Berl.pract.crim. part 5.conclus.59.n.108.* Concordat *Constitutio criminalis Caroli V.* in der Peinlichen Halsgerichts Ordnung *art.20.vers.* wo auch eine Obrigkeit. Quin imò quidam dicunt talem judicem mortis pœna esse afficiendum. *Berl.part.5. concl.59.n.109.* Item si Magistratus indebitè aliquem incarcerat. *Clarus in §.injuria n.1.* Vel arrestum contra aliquē, debito nondum liquido concessit. *Harppr. in §. injuria 1.Inst.de Injur.*

Vel arrestum impetratum sub cautione relaxare nolit. *Daniel Möller lib.2.semestr.c.4.n.26.* Vel excussione nondum facta, contra debitorem arrestum concernit. *Coler. de process.execut. part.1.c.6.n.23. Zanger. de Except.part.2.c.10.n.28 Berlich.part.5.conclus.49.num.121.*

XV.

Extra Corpus aliquis injuria afficitur, quando citra corporis sui offensionem, facto gestuvè illicito & ignominioso despicitur; Ut, quum animo injurioso in domum quandam cum impetu quis irrumpit, & januam effringit *l.qui injuria 53.ff. in pr. de Furtis. l.5.ff. de Injur.§.8.Inst.* Si in vicini domum aut fundum stercora, fimum aut alias sordes mittit *Dambaud.c.137.n. 8. vers. praeterea qui & n. 9. Harppr. in §.injuria 1.Inst.de Injur.num.5.vers. vel si quis fimo & num. 17.post.pr.* Vel si quis alium in suo vel publico loco piscari, ancupari, venari, aut quacunque re sua aut jure suo libere uti prohibet aut impedit *l. 13. §. 1. 2. 6.fin. l. 33. ff. de Injur.* Si litem improbe movet, aut Comitem honestæ matronæ abducit *l.15.§ 16.d.tit.* Si quis ad minuendam dignitatem alicui non permittit obtinere officium, illique suum votum malo animo denegat, *per text.in l.injuriarum 13. §. si quis de honoribus 4.ff.d.tit. Hartm. Hartmann. lib. 2. obs.tit.49, obs.4 n.6.& seqq.* aut honoris ordinem turbare seque præstantiori in sermone & sede præferre quis velit. *Gail.lib.1.obs.21. num. 12.* Quandoque etiam tenetur, si vestes alterius vel dilacerat vel fimo aut cœno maculat; Fistulas, lacus, aquas spurcat, aut si oculos in alterius ignominiam distorquet, linguam exerit, os dilatat, labium deducit, buccas inflat, vel alio modo faciem ad infamiam alicujus deformat *l. 15.§. 27.ff.d.tit.* vel ficas alicui facit, quod vulgò Ein Münch stechen vocatur, *Anthon. Thes. decis.229.n. 1. & seqq.per tot.* Sic quoque qui propria authoritate res furto sibi subtractas in alienis ædibus perquirit & non invenit *l.qui in domum 23.ff d.tit. Köppen decis.8.n. 6.sub fin. vers.& si eo casu.*

XVI.

Verbalis injuria fit vel dicto, vel scripto, in judicio vel extra judicium *l. 5. C. de Injur. l. 16. in pr. ff. de pœnis. Andr. Gail. lib.2.obs pract. obs.104.*

XVII.

Dicto alicui fit injuria, cum appellatur nomine infami, proboso

boso & ignominioso, contumelioso, fallarius, mendax, proditor, adulter, leno, usurarius, fur, latro, Judæus, hæreticus, spurius, sycophanta, Cornutus aut cucurbita, homicida, fugitivus, ebriosus delator, adulator, nebulo, aut honesta matrona meretrix: Item claudus, cœcus &c. aut alia vitia naturæ vel corporis exprobantur, Etiam si quis debitor alterius nominatur, vel alio aliquo verbo, quo alicujus opinio & existimatio minuitur *l.3. C. de Injur.* Similiter injuria verbis infertur si ironicè dicitur, Tu es bonus vir aut homo, bona mulier & similis, vel si carmen famosum vel cantilena recitatur vel proponitur in alterius pudorem, aut verba turpia loquuntur erga mulierem, appellandove virginem blandoque sermone ejus pudicitia attentatur. Berlichius etiam in suis Crimin. annumerat hoc injuriis verbalibus, cujus verba adjicere lubet; Si quis affectatus virginem & frequenter eam sequitur, ut faciunt philocapti *l. item apud 15. §. alud est appellare 22. ff. de injur.* vel media de nocte tacitè viam illius frequentat, & ante illius domum facit matinatas. Angel. in l. item apud Labeonem §. meminisse *ff. d. tit. n. 2.*

XVIII.

Verbis etiam injuria fit, si quis alterum mentiri dicat, *Damhoud. in sua pract. crim. cap. 136. n. 6.* Licet veniam sit præfatus, aut verbum protulerit cum honoris præfatione, salvo honore tuo. *Iason. num. 36. Covar. lib. 1. var. resol. cap. 11. num. 1 Iohan. Coras. lib. 6 Miscel. c. 24. n. 3. Gail. lib. 2. obs. pract. obs. 100. num 3.* etiam indistinctè infertur injuria, sive protestatio procedat sive subsequatur, ut salvo honore tuo, tu mentiris, vel tu mentiris salvo honore tuo. *Gail lib. 2. obs. 101. num. 1. & seq. Guid. Papa. decis. 465. num. 1. vers. quod est contra illos.* Nisi verum sit quod quis mentiatur, & ex eo solo, quod ei dicitur, tu mentiris, actio injuriarum non competit. *Decius. Consil. 686.* Ast si quis alicui objicienti falsum crimen, in continenti dixerit, tu mentiris, & suæ innocentiæ & honoris conservandi gratia retorsione usus fuerit, etiamsi adjecerit, tu mentiris ut fur & nebulo, non obstringitur obligationis vinculo *Besold. vol. 2. cons. 28. num 26. & seqq. Mynsing. cent. 5. obs. 17. n. 13.* Sin autem verum tibi objicienti crimen, responderis, tu mentiris, dicta actione ei teneris, quæ communis Dd. sententia est, & in praxi observatur. Fachinæus *lib. 9. controv. jur. cap. 12.* Verbo medio aut indifferente si quis utatur, ut, si dixerit, tu non dicis verum,

rum, ſive tu dicis falſum, non habetur pro injuria. *Schneid. ad §. injuria n.10. Inſtit. de Injur. Berlich part.5. concluſ.59. num. 64. & ſeqq. Bertazol. conſ.88. n.4. & conſ.152. n.11. lib.1.* niſi dicat; tu dicis mendacium, tunc injuriarum conveniri poteſt. *Berlich. concl.59. num. 66.* A judice quis in judicium vocatus ab eodemque interrogatus, reſpondit, ſe audiviſſe à Mevio, Cajum hoc vel illud delictum perpetraſſe, non pro injuria reputatur. Hæc de injuriis verbalibus ſufficiant; plura de his videantur apud *Ioh. Harppr. in §. injuria 1. Inſt. d. tit. num. 51. ibi verbalis injuria, & ſeqq.*

XIX:

Hactenus de injuriis verbalibus actum eſt, jam ad eas quæ fiunt ſcripto accedendum, paucisque expediendum. Fit autem injuria ſcriptis, cum quis ſcriptura aut pictura aliqua famoſa doloſè deſpicitur; puta ſi hiſtoria, epiſtola, epigramma, carmen, cantilena in contemptum alicujus componitur, ſcribitur, editur aut producitur, vel cœcus, claudus habitu infami pingitur *l.15. §.7. & ſeqq. ff. de Injur. Dambaud. cap.125. in prax. rer. crimin.* Item ſi quis extrajudicialiter debitorem propter moram ſolutionis, tanquam perfidum & perjurum qui datam fidem non ſervaverit, in locis publicis vel aliis per ſcripturas, picturas & libellos paſſim propoſitos diffamat. *Matth. Coler. de proceß. execut. part.1. c.8. n.6.7.* Secus, ſi in judicio in libello ſupplicatorio ſcribit, ſuum debitorem eſſe perfidum, tunc non pro injuria reputatur. Plures caſus ubi injuria vel verbalis vel realis inferri ſolet habentur apud *Matth. de afflict. c.1. §. injuria punitur lib. de pace jurum. firmand. n.7.8. & n. ſeq Berlich. concluſ.59. n.86 & ſeqq.*

XX.

Sequitur ulterius quæ injuria atrox vel levis exiſtimatur, Atrox quæ & gravis dicitur, ex hiſce circumſtantiis æſtimatur; vel perſona vel tempore, vel facto ſive reipſa, vel loco vel magnitudine læſionis. *l. prætor edixit. 7. §. atrocem injuriam l.17. §. quædam injuriæ ff. de injur. Cœpan. lib.2. obſ.80.*

XXI.

Ex circumſtantiis perſonæ fit atrocior injuria, quum Magiſtratui à ſubditis, parenti à filiis, fratri à fratre, hoſpiti ab hoſpite, homini in dignitate conſtituto ab humili perſona, præceptori à diſcipulo injuria inferatur, ſive quæ in plures per conſequentiam perſonas

sonas redundat; quando nimirum injurians scivit, personam læsam alteri esse conjunctam, in cujus contumeliam injuria infertur *l. 15. §. interdum §. item si l. 18. ff. d. tit. l. 7. §. ult. ff. eod. Menoch. de arbitr. Iudic. lib. 2 cent. 3. cas. 265. n. 5. & seq.*

XXII.

Ratione temporis atrox dicitur, quæ interdiu, conspiciente populo, in theatro, convivio in conspectu plurimorum, in dignitatis suæ habitu incedenti vel sedenti, in Sacerdotio &c. ingeritur *l. 4. C. de Injur. d. l. 7. §. ult. Menoch. cas. 263. n. 23. 24. & seqq.*

XXIII.

Facto sive reipsa fit atrox injuria, si quis facie læsus vel vulneratus, aut fustibus vel loramento percussus sit. *d. l. 7. §. ult. & §. atrox Inst. d. tit.*

XXIV.

Ex circumstantiis loci dicitur atrox, veluti si fit in loco publico aut privilegiato, in foro, templo &c. *Menoch. lib. 2. de arbitr. jud. cent. 3. cas. 263. n. 23. & seqq.*

XXV.

Magnitudine læsionis æstimatur atrox injuria, si vulnus injuriosè illatum magnum & periculosum sit *l. Vulneris 8. ff. de injur.* vel si bona fama alicujus famoso aliquo libello læsa sit, *Menoch. d. cas. 263. n. 34. & seqq.*

XXVI.

Facile nunc ex prædictis dignoscendum erit quid sit levis injuria, quæ enim non est atrox eam pro levi habendam esse puto, quod tamen judex suo arbitrio æstimaturus est. *Speckhan. cent. 3. class. 3 quæst. 9. & seq.*

XXVII.

De Impositione injuriæ hucusque dictum est: porrò ad impositæ injuriæ vindicationem transeundum, qua injuriam nobis impositam propulsamus & honorem, famam & existimationem conservamus. Estq; hæc vindicatio duplex; vel enim est privata quam retorsionem vocamus; vel judicialis.

XXVIII.

Retorsio est defensionis species, quæ regulariter omnibus verbali injuria affectis ad conservationem famæ & existimationis suæ competit: Ubi duo observanda veniunt: Primò ut fiat in continenti, *Modest. Pistor quæst.*127 *num.*39, *Gail.lib.*2.*obs.*101.*n.*5. tum scil. quando quis ipsemet injurias percipit, aut primùm certò rescivit & cognovit injuriam sibi absenti esse factam, & Notarium ad insinuandam retorsionem commodè habere potuit. *Iohan.Harppr.in* §.*hæc actio* 12.*Instit.de Injur.n.*97. Deinde requiritur, ut retorsio cum moderamine inculpatæ tutelæ fiat, in suis terminis consistat, nec ulterius progrediatur. Aliàs si quis injuriosis verbis provocatus, aliud diversum crimen injurianti objiciat, ipsumq; aliis injuriis reverberet, retorsio injuriarum non valet, sed uterque de sua injuria agere potest. *Modestin.Pistor consil.*3. *n.* 34. *vers.* vnd hierauff haben wir eine klare *decision vol.* 2.*Dan.Moller ad Constit. Elect.*42.

XXIX.

Moderamen autem inculpatæ tutelæ in eo consistit, ut quis injuriam neget, injuriantemq; mentiri dicat. Proinde mendacii exaggerandi causa addere quidem licet, tu mentiris ut fur aut latro & similis. *Berlich.conclus.*64.*n.*5. Attamen non sic regerere licet, tu mentiris tu fur, tu latro &c. quia hæc locutio potius ad ultionem & offensionem legitimam honoris tendit, priorq; locutio permissa; hæc verò prohibita est & moderamen retorsionis excedit.

XXX.

Quemadmodum verò non licet objicienti mihi crimen aut delictum aliquod, veluti furti, retorquendo aliud crimen objicere injuriantemq; latronem aut adulterum vocare *Schneid. in* §. *in bonæ fidei* 30. *Instit. de Action. n.* 25. Ita nec licebit injuriam verbalem armis & verberibus repellere. Unde sententiam istam vulgò receptam: Auff eine Lügen gehöret eine Maulschelle/ falsa esse manifesto patet, de quo eleganter *Ioh.Harppr.in* §.*hac actio* 30.*Instit.de Injur.num.* 24.*& seqq.* nisi vilis vel infamis persona alicui egregiæ & nobili personæ mendacium objecerit, tunc ejusmodi nobilis persona, vili &c.

li & infami convitiatori colaphum impingendo legitimaq; mendacii retorsione, sese rectè potest defendere *Carpzov. in pract. rer. crim. part. 2, quaest. 97, num. 40.*

XXXI.

Plerumque hodie retorsio expediri solet per schedulam aut libellum Notario & testibus ad hoc specialiter requisitis exhibitum; ut Notarius libellum testibus praelegat, eoq; lecto, iisdem testibus vel aliis adhibitis injurianti libellum, nomine injuriati, legitimè insinuet, responsum diligenter notet, & super his omnibus publicum instrumentum conficiat, injuriatoq; asservandum tradat. De formula ejusmodi schedulae seu libelli retorsionis videatur eleganter *Harppr. §. hac actio 12. Instit. d. tit. num. 211.*

XXXII.

Facta autem legitimè retorsione, injuriarum actio tollitur, nec actor ad competentem actionem injuriarum, ad palinodiam aut aestimationem injuriarum habet regressum, uti communis est sententia Dd. & in praxi ut plurimum observatur. Ratio additur, quia is per retorsioně sibi illatam injuriă retorsit & regessit, opprobriumq; , convicium & pudorem suum purgasse dicitur: cui consequens est, quod post retorsionem actio injuriarum non amplius competat, contumelia enim, causa actionis, facta retorsione cessat *l. 25. ff. de procurat.* Cessante autem causa sive obligatione, cessat etiam effectus. Tum quia retorsio & actio injuriarum ad unum eundemque finem tendunt, nempe ad contumeliam expellendam & removendam *l. 15. §. 46. ff. de iniuriis.* unde ipsa injuriarum actio nascitur *l. 27. §. 2. de pactis. l. 1. in pr. ff. de iniur.* Adhibito itaque uno remedio puta retorsionis; alterum, nempe actionis injuriarum amplius competere nequit.

XXXIII.

Non praetereundum esse existimo, quod, licet retorsionem actio injuriarum tollatur, Magistratui tamen reservatum hoc esse, ut injuriantem ex officio punire queat; Retorsio namque jus partis tantummodo concernit, ipsiusq; existimationem offensam qua-

si restituit, relicta interim judici libera facultate, ipsum delictum coercendi. Deinde & hoc, quod nempe contra retorsionem alia retorsio & sic retorsio retorsionis non concedatur, & Notarius illi, cui retorsionis instrumentum insinuavit, operam suam in eodem retorsionis negotio præstare non possit nec debeat. *Harppr. in §. hac actio 12. Instit. de Iniur. num. 223. & seqq.* Hisce sufficiat de vindicatione privata, appropetandum est ad vindicationem judicialem, i. e. ad ipsam actionem injuriarum.

XXXIV.

Tenetur autem hac actione non solum is, qui per se directò injuriam fecit, sed & ille qui dolo fecit, vel per alium curavit, ut alicui injuria fieret *l. 11. ff. ubi Bart. §. si mandatum cum §. §. seqq. de Iniur.* Et requiritur ad fundandam talem actionem animus & intentio injuriandi, ut injuria ex affectu, dolo, & malo proposito fiat. Per jocum enim & lusum non infertur injuria. *Besold. p. 4. cons. 158. n. 19.* e. gr. si quis cultro venatorio percussus est, wan einem das Weidmesser geschlagen worden / vel quando in exercitiis tormentorum vel balistarum is qui à scopo aberravit à scurra flagro quodã ligneo seu tabella super nates percutitur oder gepritzschet wird. *l. 3. §. 3. ff. de Iniur. Nolden de stat. Nob. c. 13. n. 83.* Posset autem quis dicere se non habuisse animum injuriandi dum hoc locutus esset, aut tale quid injuriosum fecisset; sed hoc non sufficit nisi probet: in dubio enim semper jus contra reum præsumit, præsertim si verba vel facta per se sint injuriosa, & si reus per conjecturas vel aliter se purgare nequeat, per juramentum purgatoriũ fieri debet, quod ab actore reo deferri potest, ita communiter Dd. sentiunt *Gail. lib. 2. obs. 106. num. 3. vers. hac tamen communi.* ubi rationes affert, & ita in Camera Imperiali judicatum fuisse testatur. Deinde requiritur, ut injuria ad animum revocetur, etiamsi non verbis expressis, sed sufficit, si ejusmodi revocatio ad animum tacitè per signa & iracundiam ostendatur *Schneid. ad §. ult. Instit. de Iniur. n. 2.*

XXXV.

Instituitur Actio injuriarum vel civiliter vel criminaliter, ita ut una electa alteram absumat *l. quod S Ctum 6. sub fin. ff. de Injur.* nisi

actio civilis & criminalis tendant ad diversa, illa ad persecutionem rei familiaris, altera ad vindictam & sic una per aliam non tollitur, *Gail.lib.1.obs.65.num.2.Besold.in thes.pract.lit.W.num.43.*

XXXVI.

Civiliter agens, æstimat injuriam illatam ad certam quantitatem pecuniæ, quam petit sibi applicari *§.pœna Inst.de Injur.* Vel agit ad palinodiam sive recantationem ; Prior actio dicitur æstimatoria ; Hæc recantatoria actio dicitur ; quæ non modo usu recepta, sed & Imperatoria constitutione comprobata est. In Keyserlicher Cammergerichts Ordnung *part.2.tit.* 28. §. vnd sonderlich. Duæ hæ actiones in uno libello conjungi simulque moveri possunt *Gail. lib. 1. obs. 65. Myns. cent. 2. obs.* 98. præsertim in injuriis atrocibus. Acriter quidem disputant inter se Dd. de hac quæstione. An actio ad Palinodiam cum actione injuriarum ad æstimationem in uno libello cumulari possit ? Et quia plerisque affirmativa sententia arridet, etiam usu receptam atque approbatam esse videmus, secundumque hanc sententiam, non modo facultates Juridicas in Academiis sed etiam Curias provinciales in Electoratu Saxoniæ pronunciasse, celaberrimi Dd. testantur. Imò etiam patet ex responso in Collegio Jenensi mens. Octobr. anno 1621. ad requisitionem Johan. Harweichen prolato: Es ist Euch auff einen Wiederruff vnd auff eine gewisse Summe Geldes/so auch wegen der angeschlagenen injurien zuentrichten/so wohl auff Erstattung der Gerichts: vnd andern expensen/zugleich zu klagen in Rechten vergönnet / vnd nachgelassen/ V.R.W. Ideoque huic sententiæ, salvo tamen honore contradicentium, adstare licebit. Æstimatio injuriæ fit salva taxatione judicis ; Judex enim immoderatam qualitatem taxat, & usque ad taxatam summam juramentum defert, in quantum super taxatione facta actor jurat, in tantum judex reum condemnat per *l. 37. §.1.ff. de injur.* Condemnatusque hoc casu efficitur intestabilis *l. 5. §.9.* ita

quæ ex L. Cornelia competit ei, qui passus est injuriam de his tribus realibus, si nempe pulsatus, verberatus, vel in ejus domum per vim introitum fuerit *l.5.in pr.l.Constitutionibus 37.§.1.ff.de Iniur. Schneid. ad §.sed & L. Cornelia 7.n.1.* Etiamsi non verè pulsavit sed tantum quasi verberaturus manus levavit *l.15. §.1.ff.d.tit.* Competit autem hoc modo actori non actio directa sed utilis.

XXXVIII.

Prætoria injuriarum actio generalior est, & ex Edicto prætoris de omni injuria competit, tam verbali quam reali, etiam ea, quæ lege Cornelia coercetur *Schneid. §.sed & L. Cornelia 8. num. 1. vers. 1. Marppr.in §.7.num.8.Inst.de Injur.* Pro cautione adjicere lubet, ut injuriatus summè deliberet, an ex L. Cornelia, an verò ex jure prætorio suam actionem intentare velit; siquidem hæ actiones valde inter se differunt, Nam actio ex L.Cornelia est civilis & perpetua, altera est prætoria & annalis. Deinde actio prætoria competit pro omnibus, injuriis etiam pro tribus istis jam dictis casibus, sed non econtra. Porrò actio prætoria competit patri pro iniuria filio illata, civilis soli filio. Ulterius prætoria actio est privati Judicii *l.7.l. ult.C.de iniur.* Civilis ex L. Cornelia est publici judicii *l. hos accusare 12.sub fin.ff.de accus.*

XXXIX.

Criminaliter actio intentatur, quando actor reum puniri, & consideratis circumstantiis, vel pœnam corporalem reo imponere vel pecuniariam fisco applicandam petit. *Schneid. ad Inst. §. in secund. gl. & Dd. ad tit. de Iniur.* Cum hac actione etiam actio ad palinodiam conjungi simulque moveri potest, est enim actio mixta quodammodo & cum utraque actione compatibilis, sive civiliter sive criminaliter injuriarum agatur, *Berlich.part. 5.conclus. crim. Althus. in Dicaalog.lib.3.cap.20.num.9.Frantzk.exercit.Instit.12.quæst. 8. num.* 8. ubi inquit, actionem ad palinodiam seu recantationem, quia ad diversa planè tendit, non saltem cumulari posse cum actione injuriarum civili ad æstimationem, verum & criminali, atque hoc in casu unam per alteram non perimi *l.7 ff.de Condict. furtiva.l. 45.ff. pro socio l. 54.in cum furti ff.de furtis l.34.in fin.ff.de O. & A.*

Quomo-

XL.

Quomodo verò procedendum erit, si reus recantationem præstare nolit? Et distinguendum est, an reus præsens sit, an absens. Si præsens, pro qualitate personæ, vel carcere vel mulcta pecuniaria, vel aliis modis coercendus erit ad palinodiam; Si adhuc parere nolit, sed in contumacia perseveret, liberum est judici imponere ei relegationē, hoc additamento, quod lictor nomine ejus, si ipse nolit, injurias recantare debeat. Et hac comminatione à reo non attenta, lictor adsciscitur & nomine rei injuriam, coram judice stante & audiente reo, recantat, & hæc revocatio lictoris eundem parit effectum, ac si ipsemet injurians palinodiam cantasset. Sin verò injurians reus est fugitivus, nec judex eum ullo modo assequi potest, hoc restat remedium, ut sententia injungens reo injurianti palinodiæ cantationem, publicè, non solum in loco judicii, sed & in loco commissæ injuriæ, & ubi reus aliàs vitam degit, affigatur, ad hoc, ut omnibus innotescere possit, reum ad revocationem damnatum fuisse, quo ipso injuriati existimatio læsa restituitur. *Prosp. Farin. part. 5. Oper. crim. quæst. 205. Berlich. conclus. 61. num. 41. & 42.*

XLI.

Libellum actionis injuriarum quod attinet; potest actor in principio libelli nomen injuriantis exprimere, factum narrare & certum dicere, quam scil. injuriam passus sit, specificationem anni, mensis & loci irrogatæ injuriæ apponere, & si eodem tempore diversæ injuriæ in eum jactæ sunt, eas omnes conjungere. Et cum agat æstimatoria actione, injuriam ad certam pecuniæ summam æstimare debet, sin verò criminaliter agat injuriarum, arbitrio judicis relinquere, & petere, ut pro qualitate & atrocitate delicti, vel pœna corporalis reo imponatur, vel pecuniaria fisco applicanda. Forma libelli videri potest apud *Schmid. tit. de Injur. in fin.*

XLII.

fectu injuriandi adversarius istis verbis usus sit, vel tale factum gesserit. *Mascard.de probat.vol.2.consil.902.num.4.* Prius si in facto consistat, testibus probandum erit aut scriptura injuriantis. Posterius ex verborum aut facti qualitate colligitur, si verba & facta per se sint injuriosa, animus & affectus injuriandi præsumitur.

XLIII.

Reus exceptiones contra propositam actionem injuriarum peti potest ex modis quibus tollitur injuriarum actio.

XLIV.

Tollitur hæc actio variis modis: vel enim morte tam injuriati quàm injuriantis: quippe cum neq; hæredi neq; in hæredē detur *l.13.in pr.ff.de Iniur.§.non autem omnes 1. Inst. de perpet. & tempor. act. Damboud.in sua pract. criminal. cap.* 136.*n.*24. nisi lis cum ipso reo fuerit contestata §. *non autem omnes 1. vers. excepta iniuriarum. iunct. vers. pœnales autem actiones Instit. de perpet. & tempor. act.* quod procedit tam in verbali quàm reali injuriarum actione. *Berlich. conclus. LXX. n.3.* & mortuo reo vel actore post litem contestatam, non instituitur novus processus, sed hæres de novo tantum citari debet, & ita procedit, ut uno verbo omnia acta præhabiti processus repetantur. *Mynſ.cent.1.obſ.85. & reſponſ.7.n.37.* Criminalis tamen injuriarum actio morte rei omninò tollitur etiam post litem contestatam *l.ult. ff.ad L.Iul. Maiestat. Wesemb.consil.22.n.6.part.1.*

XLV.

Deinde tollitur injuriarum actio prætoria per præscriptionem unius anni utilis, nempe ex eo tempore, quo quis rescivit jactam in se esse injuriam, computandi, ante litis contestationem compleri. Quod etiam in jure Saxonico observatur Landr. *lib 3. art.31.ubi Zobel. in gl.lat. ad text.germ. lit. D.* Civilis injuriarum actio perpetua est. *Instit.de perpet.& temporal.action.in pr.* Unde si quis de eo quod quis pulsatus, verberatus vel domus sua vi introita sit, nominatim ex lege Cornelia egerit, exceptio annalis locum non habet. Civiles enim actiones, quæ ex legibus, SCtis & Constitutionibus oriun-

oriuntur, esse perpetuas, dubium nullum est. Distinguunt tamen alii inter vulnera levia & modica, & inter gravia & atrocia; ita ut priori casu injuriæ reales leves, als da jemand Blutrünstig/ braun vnd blaw geschlagen wird / anno præscribantur; Posteriori verò casu injuriæ reales atroces & graves, als Kämpfer Wunden/ Lämbdung/ Verstümlung / vnd dergleichen / non nisi 30. annorum spatio tollantur cum sint perpetuæ, quæ sententia etiam probatur im Landr. *lib. 3. art. 31. sub fin.* Ita nec actio injuriarum ob carcerem injustum & arrestationem personalem, annalis sed perpetua est, propterea, quod re, puta manu & apprehensione fiat, & ad merum vel mixtum imperium, nec ad simplicem jurisdictionem pertineat. *Farinac. in sua pract. crimin. lib. 1. tit. 4. quæst. 27. n. 6.* quod ideò etiam dicendum esse putant Dd. quoniam per carcerationem alicui infertur ignominia cum gravi injuria & irretractabili præjudicio. *Wes. consil. 59. num. 9. ibi, carceris enim iniuria est, seq. part. 1. Gail. lib. 2. obs. 104. n. 4.* Uti nec in actione injuriarum recantatoria, quia non est prætoria sed civilis, quippe cum consuetudine sit introducta & Lege Carolina confirmata. *Wesenbec. cons. 22. n. 20. & 22. Berlich. part. 5. conclus. Pract. conclus. 62. n. 44.*

XLVI.

Quæritur etiam an actio injuriarum ob injustam torturam sit annalis an verò perpetua? Et communiter asserunt, illam esse perpetuã, inter quos est *Andr. Rauchb. quæst. 49. incip. datur quoq; iniuriarum actio n. 9. Daniel Moller ad Constit. Sax. part. 4. Constit. 46. num. 4. post princip. vers. quibus & injustam & seq.* Idem statuunt, de actione injuriarum, quæ uxori & liberis ob maritum vel patrem injustè ultimo supplicio affectum datur, quoniam plus est aliquem ultimo supplicio afficere, quam torturæ subiicere.

XLVII.

Adhuc alia quæstio non incommodè hic oritur de injuriis scri-

quæst. 98. *n.* 3.) & dicendum quod injuriæ scriptæ, uno anno præscribantur, quia per omnia & in omnibus sunt & dicũtur verbales, *Gail. lib.* 2. *obs.* 104. Jam notum est injuriam verbalem anno finiri. E. Actioné autem famosi libelli esse perpetuã, i.e. durare 30. annos. Ratio diversitatis in promptu est, quia pœna famosorum libellorum est gravior pœna quàm injuriarũ scriptarum, jam quò gravior pœna, eò etiam longius tempus præscriptionis desideratur; Porrò quia pro injuriis scriptis actio à jure prætorio datur per *l.* 15. §. *generaliter* 27. *vers. aut crimen conscribat &* §. 29. *ff. de injur.* In propatulo autem est actiones prætorias esse annales. Secus in libellis famosis, qui non ex jure prætorio, sed ex Constitutione Cæsarea *in l. unic. C. de famos. libell.* puniuntur; actionem itaque ex Constitutione alicujus Principis provenientem, esse civilem perpetuoque durantem, quis hoc repugnanter negabit.

XLVIII.

Ulterius tollitur hæc actio injuriarum conventione partium: puta pacto, *l.* 17. §. 1. *ff. de pactis*, transactione & jurejurando, *l.* 3. § *Eas lege permittitur ff. de inj.* juraméto purgatorio nempe; ité dissimulatione, satisfactione, revocatione, retorsione, pœnitentia, expressa & tacita remissione, puta si verbis vel indiciis contestatus non sit illicò is, cui injuria facta est, ad animum se eam revocare *l.* 11. §. *ff. de Injur.* §. *ult. Instit. h. tit.* Remissa tamen injuria non censetur remissum damnum & interesse *l. qui servum* 34. *in pr. ff. de O. & A. l.* 15. §. *si quis servo* 40. *ff. de Injur.*

XLIX.

Quid si quis injuriatus conviciatorem salutet & manum ei præbeat, vel edat aut bibat cum eo, an actionem injuriarum remisisse intelligatur? Respondetur, si prius injuriatus in juriam ad animum revocavit, non actionem, sed duntaxat rancorem remisisse censetur *Mascardus de probat. vol.* 2. *conclus.* 902. *num.* 25. quod etiam ita in dubio procedit. Ita si injuriatus cum injuriante simul ad convivium aliquod sit invitatus, quo casu citra detrimentum suæ causæ vel actionis injuriarum, cum eo prandere & cœnare potest *Damhoud. in practic. criminal. tit.* 136. *de injur. circa fin.* Aulici pocula injuriantis jure aulico, auf Hoffrecht / h. e. citra præjudicium actionis vel

causæ

causæ injuriarum accipere solent, Sie trincken einem andern auff Hoffrecht zu/ vnd nehmen den Trunck auff Hoffrecht an. Ex prædictis sequitur, quod injuriatus ex necessitate officii cum injuriante conversare, vel ex amore Christiano rancorem remittere possit ac debeat, salva injuriarum actione. Et licet quis simpliciter injurias sibi illatas remiserit, non tamen censetur actiones sibi competentes ratione damnorum & ejus quod interest, remisisse. Nec enim injuriam alteri facit, nec vim aliquam infert, qui jure sibi concesso utitur, facitq; id quod leges permittunt *l. nullus 55. & l. 155. §. non videtur 1. ff. de R.I.* quod quis lege permittente facit, justè facit nec pœnam meretur.

L.

Trita quæstio est, an veritas convitii actionem tollat, ne ad palinodiam aut pœnam arbitrariam condemnari possit? Et omissis ambagibus ex communi Dd. sententia, distinguendum est, numne Reipublicæ expediat convicium manifestari, vel non expediat: priori casu, ut si alicui objiciatur latrocinium, rapina, furtum, lepra, vel defectus natalium, quod sit spurius &c. tum convitium dicens, nullatenus tenebitur; Ratio, quia interest Reipubl. infamiam istam manifestari, ne delicta maneant impunita, *l. ita vulneratus ff. ad L. Aquiliam.* & ab hominum consortio contagiosus removeatur *c. hoc ipsum 33. quæst. 2. c. 1. de conjug. leprosor. Gail. obs. 99. lib. 2. n. 1.* Nec ad dignitates admittatur incapax & infamis *d. l. ita vulneratus ff. ad L. Aquil.* Altero casu, quando non interest Reipubl. scire convitium, tunc injurians non excusabitur injuriarum, consideratur enim in tali actione non tam veritas convitii, quàm libido & voluntas injuriandi *l. justissimos C. de offic. Rect. provinc.* Non enim debet aliquis alterius infamiam sine causa detegere.

LI.

Quum verò condemnatum injuriarum infamia notari cer-

per procuratorem litem suscipiat: quo casu in procuratorem sententia profertur tanquam dominum litis, qui tamen condemnatus non notatur, ut nec ipse reus, per textum *in l. furti 6. §. si quis alieno l. servus 14. l. Lucius in f. ff. de his qui not. infam.* Deinde si reus civiliter conventus æstimationem vel pecuniariam pœnam, ante litem contestatam vel ante conclusionem in causa, vel si conclusum sit ante condemnationem persolvat, non irrogatur illi infamia *per l. si rem 73. ff. de procurat. Gail. lib. 2. obs.* 102. *n.* 12. Similiter hanc maculam condemnatus evitare potest, si de injuria vel de authoritate judicis, vel gratuitò, cum adversario suo transigat *per l. non damnatos* 18. *C. ex quibus caus. infam. irrogat.* Item si damnatus appellat vel leuterat, & pendente appellatione vel leuteratione operam dat, ne altera sententia sequatur, sed lis pereat per pactum, solutionem aut alium quemvis modum. *Wesemb. in comm. ff. de his qui not. infam.*

Ulterius eluitur infamia per restitutionem principis pristinæ æstimationi *VVesenbec. in comm. ff. de his qui not. infam.* Vel si ante litem contestatam perperam dicta revocat, aut si copiam sui in judicio non faciat, sed propter contumaciam se condemnari facit. *Zanger. tract. de except. part.* 2 *c.* 1. *n.* 177. Etiam cavet reus periculum infamiæ, si judex in sententia reo existimationem honoris expressè reservaverit *Zasius in l. acta §. de amplianda ff. de re judic. n.* 7. *vers. secus puto & seq.* quæ reservatio plerumque fit, si injurians est opifex & in aliquo collegio constitutus, ne ex collegio suo tanquam infamis ejiciatur. *VVesenb. in comm. ff. de injur. n.* 18. *post med. vers. & hoc humanius.* Postremò infamis non fit, si quis coram Judice & Assessoribus se declaret, verba illa animo injuriandi non protulisse, deque actore non nisi bonum & honestum scire. Oberhoffgerichts Ordnung zu Wittenbergk *anno* 1550. *tit.* von Schmehesachen §. würde sich aber auch *in vers.* vnd das soll demselben vnaußtrücklich vnd vnverleimlich seyn.

F I N I S.